


PONTIFICIA COMMISSIO CODICI IURIS CANONICI
RECOGNOSCENDO

COMMUNICATIO

**DE SCHEMATE
«LEGIS ECCLESIAE FUNDAMENTALIS»
PATRIBUS SYNODI EPISCOPORUM HABENDA**



TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
MCMLXXI



COMMUNICATIO
DE SCHEMATE « LEGIS ECCLESIAE FUNDAMENTALIS »
PATRIBUS SYNODI EPISCOPORUM HABENDA

Patres Venerabiles,

1. Arbitror sane me esse facturum rem Vobis gratissimam et ad munus meum pertinentem, si antequam Vobis referam de responsis ab Episcopis hucusque datis ad meas litteras diei 10 februarii 1971, aliqua dicam de origine atque indole condendae « Legis Ecclesiae fundamentalis », ut primo iam tempore eam appellari libuit, deque labore impenso ad schema Episcoporum examini subiectum apparandum.

Novi quidem multa ex iis, quae proferam, iam extare in Relationibus quae ipsis schematibus conexa sunt et in commentario quem Secretarius adiunctus Commissionis nostrae exaravit et publici iuris fecit (cf. *Communicationes*, 3, 1971, pp. 50-69) postquam schema Episcopis, examinis causa, missum fuerat, necnon in conferentia ab eodem Secretario adiuncto diurnariis data die 5 iulii c. a. (cf. *L'Osservatore Romano*, 7-7-71, p. 2).

Verumtamen, cum interea rumores sparsi sint, qua verbis qua scriptis omne genus, qui ipsam rerum veritatem infuscarent, immo everterent, nonnihil utilitatis ex iterata breviter factorum expositione obventurum esse reor.

Id faciam breviter, Venerabiles Patres, et pacato animo: nolo enim Vos multiloquio fastidire et, alia ex parte, mihi persuasum est pensatis et pacatis tantum verbis, contra ipsas offensiones, rei Ecclesiae omnes nos consulere posse.

Memineritis, Patres Venerabiles, me, dum primus generalis coetus Synodi Episcoporum agebatur, instantibus quibusdam Patribus aliquam legem seu codicem fundamentalem vel constitutionalem Ecclesiae Latinae

et Ecclesiis Orientalibus communem esse condendum distinctisque legislationibus praeponendum, me, inquam, in haec verba responsum dedisse: « Iam multa audivi in hac aula quoad aliquem Codicem fundamentalem, Legem fundamentalem, Legem constitutionalem Ecclesiae: verba et expressiones variae sunt, sed conceptus forsan est idem. Revera fateor: hoc schema multum exigit laborem... multum... multum... Iam plura schemata parata sunt et novum schema adparatur quod examinabitur a peculiari coetu, forsan mense novembri proximo. Ideo audeo petere a Praeside Delegato de turno, ut Synodus de hac re audiatur. Erit nobis validissimo adjumento, ut supereremus difficultates quas reapse multas habemus, diversi generis. Igitur audeo quaerere, semper annuente Summo Pontifice, ut peculiaris Commissio statuatur quae nobis dicat quomodo concipienda sit haec « Lex fundamentalis », quibus rationibus conficienda sit. Censeo quidem Commissionem synodalem constitutum iri viris, qui hac in re sunt periti, suumque laborem durante hoc primo Synodi coetu esse completuram. Sed repeto, non agitur de re Synodo proposita: quaeritur sententia Patrum occasione Synodi. Commissio constare deberet, semper si Summus Pontifex annuat, Patribus tum Ecclesiae Latinae tum Ecclesiae Orientalis (permittatis has expressiones, quae etiam mihi non multum placent, sed tamen sunt in usu) ita ut habeamus mentem totius Ecclesiae circa hanc rem vere momentosam, et possimus procedere tranquille. Hanc petitionem porrigo Praesidi Delegato de turno ut eam iudicio Summi Pontificis summittere velit ».

In responsione autem finali egomet dixi: « Commendatur ut “ Lex fundamentalis ” condatur. Iam dixi mentem meam de hoc. Multum adlaboravit nostra Commissio et multum laborat. Sed difficultates multae sunt. Si potestis nos adiuvare, adiuvate nos... Quaesitum denique est quare non ante condatur “ Lex fundamentalis ”, quam Codex legum patetur. Cum “ Lex fundamentalis ” sit velut synthesis summorum principiorum, clare exponi ea nequit, nisi prius singula instituta bene perspecta habeantur. Ergo unus et alter labor simul peragetur: alter alterum iuvabit » (cf. *Communicationes*, 1, 1969, p. 98).

Reaperte votum a me expressum, constituendae scilicet commissionis in Synodo, varias ob causas acceptum non fuit, adeo ut in primo coetu extraordinario Synodi ipsem dicere debuerim: « Iuvamen habuimus, sed non multum adhuc. Habebimus certissime plurimum in posterum » (cf. *Communicationes*, 3, 1971, p. 56).

2. Uti omnes norunt, Ioannes XXIII, piae memoriae, opus Codicis Iuris Canonici recognoscendi prospexit et perficiendum statuit. Quocirca peculiarem Commissionem constituit, cuius Cardinales non pauci sunt Sodales, consultoresque nominati sunt Episcopi, canonistae et theologi variis ex nationibus et scholis, praesertim ex proposito ab Episcoporum Conferentiis indice delecti.

Cardinalis Petrus Ciriaci, qui fuit primus huius Commissionis Praeses, ut labores Commissionis ordinatum haberent initium, anno 1965 aestimavit fundamentales aliquas quaestiones studio imprimis consultorum, deinde iudicio E. morum Commissionis Sodalium subiciendas esse. Harum quaestionum fundamentalium prima, in fasciculo typis impresso, qui anno 1965 Eminentissimis Commissionis Sodalibus traditus est, his quae sequuntur enuntiata est verbis: « Quaestio (ponitur) utrum unus an duo Codices faciendi sunt, unus pro Orientalibus et alter pro aliis, praemisso Codice quodam fundamentali ». Quae quaestio, deinde, in predicto fasciculo ita fusius evolvitur: « 1) Utrum utile aut opportunum sit redigere unicum Codicem iuris canonici pro universa Ecclesia (ergo pro Ecclesia Latina et Ecclesiis Orientalibus insimul); 2) Utrum (e contra) necessarium sit retinere duplum Codicem iuris canonici, quorum alter Ecclesiam ritus latini, altero vero Ecclesiis rituum orientalium respiciat; 3) Si altera hypothesis praevaleat, considerare oportebit utrum Codex fundamentalis, ius constitutionale Ecclesiae continens, confici possit, utrique Codici praemittendus » (cf. Pont. Commissio Codici Iuris Canonici recognoscendo, *Quaestiones fundamentales*, Civitas Vaticana, 1965, pp. 5 et 10).

Quaesitum hoc de opportunitate et redactione alicuius Codicis fundamentalis, ea positum est ratione, quia durante iam Concilio Vaticano II aliqui Patres conciliares votum expresserant ut talis Codex fundamentalis, omnibus Ecclesiae ritibus communis, conficeretur, eorumque propositi voces eminentes apud Summum Pontificem interpretes fuerunt.

Hanc ob rem, Cardinalis tunc Praeses Commissionis eam quaestionem uti praeliminarem ponendam esse statuit.

Consultores Commissionis, rogati ut de hac quaestione mentem suam aperirent, numero longe maiore responderunt imprimis, secundum traditionem receptam, duplum Codicem Iuris Canonici esse conficiendum, alterum pro Ecclesia Latina, alterum pro Ecclesiis Orientalibus; itemque

censuerunt redactionem Codicis fundamentalis seu constitutionalis pro universa Ecclesia possibilem, immo et necessariam esse, licet elaboratio huiusmodi Codicis difficultates non parvas pree se ferret (quod hodie probari non debet). Rationes in favorem talis Codicis fundamentalis ad ductae in dicto fasciculo indicantur (cf. pp. 19-20), et earum praecipue allegantur quae sequuntur:

a) melius eluceret unitas Ecclesiae, si in unum colligerentur illa quae omnibus communia sunt Ecclesiis, quaeque exstant veluti fundamentum unitatis in legitima diversitate;

b) decet etiam ut principia fundamentalia scripta habeantur, e quibus clare constet tum Ecclesiae structura, tum summa iurium quibus gaudent in Ecclesia christifideles necnon officiorum quibus in eadem adstringuntur eidem fideles, sine distinctione Ritus;

c) immo et oecumenismo favet talis Codex, cum distinete in eodem determinari possunt quaenam in Ecclesia catholica ad structuram universae Ecclesiae pertinent et quaenam relinquuntur liberae determinationi Ecclesiarum particularium.

Romanus Pontifex, Paulus VI, inde statuit quaestionem subiciendam esse Cardinalibus, Pontificiae Commissionis Sodalibus. Die 20 novembris 1965, Sodalibus et consultoribus Commissionis Codici Iuris Canonici recognoscendo orationem habens, ita verba fecit: « Peculiaris vero existit quaestio, eaque gravis, eo quod duplex est Codex Iuris Canonici, pro Ecclesia Latina et Orientali, videlicet, num conveniat communem et fundamentalem condi Codicem ius constitutivum Ecclesiae continentem » (*AAS* 57, 1965, p. 985).

Quae igitur quaestio, uti prior praeliminaris et fundamentalis solvenda, proposita est Cardinalibus Commissionis Sodalibus, in conventu die 25 novembris eiusdem anni habito; traditus fuit eisdem fasciculus, in quo quaestio haec — una cum aliis — delineata et explicata est, *immo summa linéamenta alicuius iuris constitutionalis Ecclesiae exposta sunt*.

Opportunitati talis Codicis seu Legis Ecclesiae fundamentalis componendae se favere ostendit Patrum Cardinalium Commissio, cuius Sodales praesentes sententiam manifestarunt suam. Comprobavit igitur haec Commissio, ex maiestate, ut schema Legis fundamentalis seu Codicis constitutionalis conficeretur ipsique subiceretur.

3. Iter, quod ad apparandum schema Legis fundamentalis factum est, omnibus Vobis iam innotescit. Praeparatum est in primis schema, indolis quidem iuridicae, cui titulus « Prima quaedam adumbrata propositio Codicis Ecclesiae fundamentalis », quod schema communicatum est omnibus membris Coetus Centralis consultorum Commissionis Codici iuris canonici recognoscendo, et de eo disceptatum est in eiusdem Coetus sessione diebus 26-27 iulii 1966 habita. Hic vero Coetus consultorum Centralis aestimavit hoc schema esse substantialiter mutandum. De maioris enim partis membrorum sententia, haec eruebantur:

1) talis Lex fundamentalis oportet ut habeat indolem non tantum iuridicam, sed theologicam quoque, ut structura Ecclesiae ostendatur veritatibus fundamentalibus innixa;

2) requiritur ut talis Lex fundamentalis Ecclesiae notionem et constitutionem referat, doctrinae Concilii Vaticanii II congruam, in qua Ecclesia uti Dei populus appareat;

3) tandem, opportunum est ut relationes in eadem determinentur, quae intercedant oportet inter Ecclesiam et humanam consortium.

Idcirco novum apparatus est schema, cui titulus « Lex Ecclesiae Fundamentalis. - Altera quaedam adumbratio propositionis ». Hoc etiam schema iudicio eiusdem Coetus Centralis submissum est, qui de eodem disceptavit in conventibus diebus 3 et 4 aprilis 1967 habitis. Schema hoc alterum ab eodem consultorum Coetu approbatum est *quoad substantiam*. Rogati autem sunt iidem consultores ut animadversiones suas scriptis communicarent, sive generales de structura praesertim schematis, sive speciales de singulis nempe canonibus, ut, eisdem attentis, in melius reformari valeret schema.

Ut vero de hoc schemate in genere deque eius singulis canonibus in specie efficacius et praestantius disceptaretur, ipse, cum paulo antea munus Praesidis suscepisset, consultorum specialem Coetum constitui, qui membra enumeraret non solum Pastores animarum, sed etiam insignes viros ex diversis ritibus, nationibus et scholis tum theologiae, tum iuris.

4. Schema hoc alterum, ratione quidem habita votorum quae consultores Coetus Centralis transmiserunt, emendatum, revera, uti constat, indolem magis theologicam prae se fert. Principia theologica in schemate

assumpta, quibus quidem praescripta eiusdem canonica innixa propo-
nuntur, ex documentis Concilii Vaticani II praesertim desumpta sunt,
ut obsecundaretur voto a consultoribus Coetus Centralis expresso.

5. Schema ita emendatum submissum dein est iudicio Cardina-
lium Sodalium Commissionis Codici Iuris Canonici recognoscendo; in-
super rogati sunt ut sententiam suam darent tum consultores Sacrae
Congregationis pro doctrina fidei, tum Commissio internationalis theo-
logorum, cuius Praesidi significatum fuit eandem modo ipsi magis ac-
cepto sententiam dare posse.

Uti notum est, 34 membra Commissionis Codicis responsum Secre-
tariae miserunt. Duobus eorum simpliciter placuit schema; 30 placuit
iuxta modum, dum duobus non placuit. Iuxta modum ab ipso Praeside
Commissionis internationalis theologorum electum, a singulis eiusdem
membris rogatum est ut sententiam suam traderent. Triginta membro-
rum huius Commissionis, viginti duo responsum dederunt, quorum
17 emendationes textui subiecto proposuerunt, dum quinque declara-
runt schema sibi non placere. Coetus tandem consultorum Sacrae Con-
gregationis pro doctrina fidei Secretariae Commissionis Codicis libellum
misit, in quo observationes emendationesque textui schematis proposuit
non paucas.

Cum igitur plerisque ex responsis receptis constaret schema placere
iuxta modum (aliqui illud summopere laudarunt), Coetus specialis su-
pradicte iterum emendando schemati operam dedit. In his conventibus
Coetus partem praeterea habuerunt repraesentantes Secretariatus ad
christianorum unitatem fovendam, atque etiam tres theologi ad com-
munitates ecclesiales ab Ecclesia catholica seiunctas pertinentes, qui ab
ipso Secretariatu uti Observatores invitati sunt. Diligentissime omnes
quae factae sunt observationes quaeque propositae sunt emendationes
perpensae sunt, atque, inspectis omnibus observationibus emendationi-
busque propositis, textus schematis iterum recognitus est. Quamvis ipse,
ut Praeses Commissionis, a suffragiis dandis abstinuerim, ut omnes omni-
moda libertate gaudent, testis esse possum et impigri et honesti laboris
omnium consultorum, etsi diversarum sententiarum, et omnimodae fide-
litatis erga Magisterium Ecclesiae, praesertim Concilii Vaticani II. Etenim
consultores, quorum non pauci, sive ut Patres conciliares sive uti periti,
in elaborandis certis Concilii Vaticani II schematibus partem habuerunt

non parvam, nihil habuerunt antiquius quam ut doctrinam eiusdem Concilii fideliter referrent. Immo ipsa verba Concilii saepius in enuntiationibus schematis adhibuerunt, nisi verba quaedam modo dicendi iuridico, praescriptorum alicuius legis proprio, minime aut minus convenire viderentur; salva tamen semper fuit doctrinae conciliaris substantia. Quam scrupulose de fidelitate doctrinae Concilii consultores curam habuerint, refert in periodico "The Tablet" (d. 7-8-71; cf. etiam *L'Osservatore Romano*, d. 4-9-71) Professor Dunstan, theologus Ecclesiae anglicanae, qui uti observator conventibus dicti Coetus interfuit: « Saepissime referebatur ad textum Concilii Vaticani II, qui servatus est cum scrupulosa fidelitate, adeo quidem scrupulosa ut hanc haberem oblectationem quod testis factus fuerim transpositionis fundamentalismi Biblici ultraprotestantis ».

Judicabunt Episcopi utrum intento satis fecerimus: sed velim ne ullum de rectis propositis consultorum dubium foveatur.

6. Ut vero consultatio haberetur latior, de mandato Summi Pontificis hic textus ita emendatus omnibus missus est Episcopis, qui quidem Ecclesiae universae sollicitudinem habent atque eiusdem sunt sponsores. Itaque omnibus Episcopis missae sunt litterae, quibus ipsi rogati sunt ut responsum dare dignarentur duabus quaestionibus, modo qui sequitur enuntiatis:

« I) Utrum opportunum censeas ut, pro universa catholica Ecclesia, "Lex Fundamentalis" condatur, quae sit veluti fundamentum theologicum et iuridicum diversarum legum in Ecclesia ferendarum. II) Quatenus affirmative, utrum schema "Legis Fundamentalis" Tuo examini nunc submissum placeat Tibi, uti iacet, an animadversiones ad textum proponendas habeas ».

In eisdem litteris, ubi dicitur hoc schema adhuc in praeparationis stadio versari, Episcopis significatur eisdem esse integrum sententiam rogare personarum peritarum, prout opportunum id aestiment; itemque eisdem relinquitur libertas ut modo ipsis accepto responsum communicent; uti notatur in dictis litteris, possunt Episcopi sive « directam et personalem respcionem dare », sive « una cum aliis Episcopi Synodi Patriarchalis vel Conferentiae Episcoporum commune dare responsum ». Hac quidem ratione Commissio, cui redactio schematis concredita est,

hunc prosecuta est finem, ut ipsi imprimis Episcopi ad opus hoc valde laboriosum conferrent, eisdem pro labore ipsis concredito agendi rationes indicando.

7. Porro, cum litterae Episcopis missae sunt, veluti procella excitata est, ut diximus, et omne genus media adhibita sunt ut Episcopi ad respondendum negative moverentur. Haec vix in hac sede recordanda essent nisi haud pauci Episcopi his commoti fuissent, quamvis Relaciones Secretarii adjuncti et communicatio ab eodem facta dubia plura, quae obiecta fuissent, dissipare conatae essent.

Venerabiles Patres, non loquor de ipsa materia schematis Legis fundamentalis, quae post acceptas ab Episcopis responsiones, novo et profundiori subicietur examini: sed de conflictis machinationibus, de detorsionibus veritatis, de propositis falso vel Commissioni, vel Praesidi, vel — quod dolet — ipsi Summo Pontifici tributis.

Timor in primis iniectus est ne huiusmodi Lex fundamentalis Populo Dei veluti imponeretur et quidem in hac Synodi sessione. Verum, Patres Venerabiles, qui fieri poterat ut schema, quod examini Episcoporum subiciebatur, ampla tributa facultate respondendi etiam negative ipsi proposito legis condendae, veluti imponeretur? Clare autem in meis litteris dicebatur versari in stadio praeparationis legis et studia Episcoporum valde utilia esse futura recognoscendo schemati, quod ceterum denuo subiciendum erat examini Patrum Cardinalium, antequam Summo Pontifici proponeretur. Nos qui in Concilio intense laboravimus, eiusque vices tam prope sequuti sumus, usu scimus quantus labor impendens sit, quanta patientia sit necessaria in praeparando documento aliquo gravissimi ponderis. Quot schemata, rite praeparata, in Concilio vel reiecta vel emenda fuerunt, antequam ad textum definitivum deve- niretur! Nescio quantum temporis insumendum sit ad examinandas responsones Episcoporum: sed recognoscendo schemati de Lege Ecclesiae fundamentali multum sane temporis impendendum erit. Quomodo igitur sanus poterat imaginari in hac Synodo rem tanti ponderis esse definiendam?

Dictum est clam Commissionem egisse et *quasi furtive*. Sed omnia quae fecit Commissio prostant iam ab aliquo anno in nostro commentario *Communicationes*. Res autem de Lege fundamentali exposita fuit in Synodo, sive in primo Coetu ordinario, sive in primo extraordinario.

Quod autem nostra Commissio per coetum aliquem schema praeparaverit, hoc est in usu cuiuslibet etiam civilis reipublicae bene ordinatae. Commissio nihil aliud praestare potest: est enim Commissio studii. Et tamen ipsa Commissio Summo Pontifici suggestit ut inde a praeparationis stadio res supponeretur examini Episcoporum ad habendum illud auxilium, quod Praeses Commissionis antea a Synodo postulaverat. Episcopi autem, ut sunt testes sensus fidei populi Dei, petere poterant et debebant consilia ab iis quos expertos in re habuissent. Reservate documentum Episcopis ideo missum est ut illud non haberetur publice tamquam lex imponenda, sed tantum tamquam schema examinandum vel instrumentum laboris, quod hodie dicitur.

Si Episcopi humaniter rogati sunt ut intra diem 1 septembbris responsiones mitterent, id non ad finiendum sed ad urgendum factum est, ut in Synodo Episcoporum aliquod plenius panorama, uti hodie dici assuevit, sententiarum Episcopis offerri posset.

Responsiones porro ex parte tantum pervenerunt.

Usque ad d. 28 octobris, nostrae Secretariae responsiones suas ad quaesita ipsis posita miserunt 1.313 Episcopi, sive directum et personale dantes responsum, sive communem cum aliis Synodi Patriarchalis aut Episcoporum Conferentiae regionis tradentes respcionem. Quocirca animadvertisendum est ex responsis Conferentiarum Episcopaliū non semper constare utrum ipsa Conferentia, ut iure constituta est, an solum aliqui Sodales in Conferentia coadunati suffragium dederint: item non semper constat quaenam fuerit maioritas vel minoritas dati suffragii. Nec semper facile est quarundam respcionum capere sententiam.

Quidquid est, ad priorem quaestionem positam, scilicet utrum opportunum aestimetur ut pro universa catholica Ecclesia « Lex fundamentalis » aliqua condatur, communis omnibus Ecclesiis ritualibus, quaque praebeat praescripta fundamentalia, responderunt:

Placet: 593

Placet iuxta modum: 462

Non placet: 251.

Longe igitur maior pars Episcoporum sententiam protulit in favorem elaborationis alicuius Legis fundamentalis, quae quidem etiam aliis verbis indicari valet. De modo, a multis proposito mox dicam.

Ad alteram quaestionem, videlicet utrum placeat schema « Legis

Fundamentalis » uti iacet, an contra animadversiones habeantur de textu emendando, non omnes sententiam dederunt explicitam, sed, ad mentem eorum, haec responsa habentur:

Placet: 61

Placet iuxta modum: 798

Non placet: 422.

Notetur tamen aliquos Episcopos respondisse tantum se nullum dare posse ad quaesita responsum, sive quia ipsos deficit tempus sive quia praesto ipsis non sunt periti. Eorum quidem responsum in exitu computando consultationis attendi non potest.

8. De observationibus et modis qui proponuntur, uti facile conicere est, elenches iam nunc componi non potuit.

Haec tantummodo de aliquo modo circa schematis rationem seu structuram propositam nunc dici possunt. Sunt qui schema laudent, quia praescripta non solummodo iuridica seu canonica continet, sed etiam theologica fundamenta eorundem indicat. Eorum mens est ut servetur indoles theologica et iuridica alicuius « Legis Fundamentalis » seu ut talis « Lex Fundamentalis » seu constitutionalis contineat praescripta canonica, una cum principiis theologicis quibus innixa sunt. E contra, alii sunt, et quidem numero maiori, qui declarant Legi Fundamentalis praemitti posse, immo vel praemittendam esse aliquam declarationem indolis theologicae, ipsam vero legem seu ipsa Legis Fundamentalis praescripta requiri quae indolem tantummodo iuridicam pree se ferant, etiamsi, ut patet, in doctrina theologica solidum habeant fundamentum.

9. Sperari potest fore ut post Synodum alia ad Secretariam Commissionis Codicis perveniant Episcoporum responsa. Procul dubio ingens erit labor omnes observationes factas omnesque emendationes propositas ordinate colligere atque perpendere. Hic vero labor perficiendus est. Solummodo autem hoc labore debite peracto, ratio stabiliri valet iuxta quam opus hoc perdifficile ulterius evolvi possit.

10. Interim Coetus studiorum, in quibus consultores Commissionis Codici Iuris Canonici recognoscendo indefesse laborant, operam dant ut diversorum titulorum Codicis I. C. canones recognoscantur, ratione praesertim habita eorum quae in Constitutionibus et Decretis Concilii Vaticani II sunt declarata aut praescripta, utque temporis adiunctis

aptentur. Recognitione canonum ad finem perducta, manet ut omnes canones recogniti inter se debite componantur utque eidem ordine logico, necnon missione Ecclesiae convenienti disponantur.

Ut tale opus, arduum sane at certe necessarium, maxima cum diligentia perficiatur in votis est omnium qui huic operi operam navant, immo et in votis est vestris.

Laboris progredientis, quantum id fieri potest, ratio periodice redditur in relationibus quae de opere consultorum in parandis canonum schematibus traduntur in Ephemeridibus Commissionis « Communicationes », quas omnes certe cognoscitis.

Patres Venerabiles,

In primo Coetu extraordinario Synodi Episcoporum, die 21 octobris anni 1969, Patribus rettuli de labore qui ad parandum schema Legis Ecclesiae Fundamentalis impendebatur, atque orationi meae ita finem imposui: « Saepe legimus ius esse hodie obiectum amoris et aversionis: sed inde non commovemur: quinimmo felices sumus cum adversatio communitur et quasi ditatur bonis animadversionibus. Eas nos examinabimus omnes, nil in limine spernentes. Hoc est nostrum opus: hic noster labor. Ceterum semper cogitavi amorem dupliciter manifestari: attractione et aversione. Aliquando autem qui adversari videntur, plus amant quam qui amare dicunt » (*Communicationes*, 1, 1969, p. 118).

Propositum nostrum non est immutatum: eodem animo nostrum prosequemur laborem, illud prae oculis habentes quod mihi veluti testamentum scripto imposuit Papa Ioannes XXIII antequam supremum diem obiret: « Ubi patientia, ibi laetitia ».

Si Concilium Vaticanum II multam patientiam expostulavit, non minorem expostulabit recognitio legislationis ecclesiasticae, qua in rem deducentur, disciplinam quod spectat, Vaticani II praescripta. Et nos grati erimus omnibus, qui in hoc stadio laboriosae praeparationis auxilium suum sincere, aperto animo praestabunt.

Die xxviii octobris anno MCMLXXI.



A handwritten signature in black ink, appearing to read "Card. Felici Provenzano". The signature is fluid and cursive, with "Card." written above "Felici" and "Provenzano" written below it.

